





BR. 534, 18

B. m

II i
2035

Vita &

MARTYRIVM

D. POLYCARPI, CAR-
MINE ELEGIACO DE-
SCRIPTVM,

A

Bartholemæo Andreade
SILESIO,



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

GORLICII

Excudebat Ambrosius Fritsch.

Anno

M. D. LXIX.



IN POLYCARPVM

B. ANDREAE.

Martyrijs quondam crebris Ecclesia creuit,
Et fuit hæc pietas grata placensq; Deo.
Nam sancita Fides fragilis discrimine vitæ est,
Sanctorum cœtus cum fuit exiguus.
Nunc postq; totū doctrina est sparsa per orbem,
Penè pudet tantum voce sonare Fidem.
Sic pietatis opus crescit, sic scanditur Aether,
Transuerso Cancer ceu solet ire gradu.
Tutamē ista Patrū renouans monumenta, mere
Non male de prisca Bartolomæe Fide. (ris
Iudice me dignum est Lēctore Abbate Poëma,
SCRIPTA, DECENT SACROS, RELIGIOSA, PATRES.

P. Vinc. Vratisl.

REVERENDO IN

CHRISTO PATRI AC DOMINO

D. FRANCISCO ABBATI SAGA-
nensi, & Præposito in Gorkau, Domi-
no & Patrono suo cum reue-
rentia colendo. S.

CLare vir, eximios æquans virtute Camillos,
Nec pietate quidem quam regis ipse minor.
Unde tibi veniant *ABBAS* dignissime quæres
Forſitan ignoti carmina pauca vira?
Ille ego sum modico quondam tibi cognitus usu,
Nominis ante tui quam fuit auctus honor:
Dum te Præpositum florente sub æde Sudentes
Suspicerent, hodie munus utrunq; geris.
Nunc nisi magna vetent forſan molimina rerum,
ANDRÆ poteris quin memor eſſe tui.
Sin tibi, temporibus quod dandum, alienior ille eſt
Verſibus exiguis notior eſſe cupit.
Siq; roges quid forſan agat? quæ Caſaris orta
Auspicijs floret pars quot acunq; Scholæ eſt.
Cui, mala qui vincit *VINCENTIVS* ore diſerto
Præſidet, atq; artes cum pietate docet.
Hic ubi prata rigans ſtridenti flumine Niſſus,
Luſatia biſidi montis ad ima fluit.
Ergo quid *ABBATIS* tanti miſſurus ad ades
Eſſet, ut ambigeret, Martyris acta tulit.
Digna bonis pietas, illorum exempla tueri,
Martyrio quorum mors decorata fuit.
Scilicet ob Chriſti ſanctum & pietatis honorem,
Propter & æternis Regna beata bonis.
His inuitamur paria ad certamina, fracta
Ne verbum mentes abijciantq; fidem.

A 2

Noſtra

M I
Nostra nec horrescant obnoxia corpora morti
Pro Christo vitam fundere si sit opus,
Nec licet ipsa satis veniat mors aspera: mortis
Inter adest etenim seu pericla Deus.
Corpore sic saluo Polycarpi vinida cedit
Flamma, nec isq; subit mitius ille genus.
Aest dum vita perit, te propter adempta coronam
Christe capit caeli coelicolumq; decus.

Si cantata iuuant igitur fera praelia Martem
Si sua magnanimos inclyta facta Duces:
Te pietas cui sola ABBAS dignissime cura est
Quanta fuit prisco tempore scire iuuat.
Non ignota tamen canimus non inscia doctis
Quos inter merito nomina magna geris:
Sed veterum dictis qua scripta dedere solutis
Carminibus, numeris gratia si qua meis.
Hac non ex illis ut quid tua gloria crescat
Nostra dat ingenio Musa legenda tuo
Sola tuam (referet maiori carmine laudes)
Propter amicitiam quod facit omne facit.
Qualiacunq; igitur sunt haec precor accipe vultu
Quo tua te virtus arripuisse iubet.
Nam non hoc doctas modo tempore diligis artes
Sponte sed & nullo tu monitore iuuas.
Hac te non solum vicinia proxima nouit
Laude, sed inde viget nomen ubiq; tuum.
Propterea quoniam longo es dignissimus aeo
Vine precor longum, vine sed incolumis.

R. Pat. U.

Addictis.

Barthol. Andreades.

Vita & Martyrium S. POLYCARPI.

TE quibus accumulẽ, meritĩs ter maxime Martyr,
Laudibus, an versu te breuiore canam?
Non POLYCARPE tuos vox vlla æquabit honores,
Plura licet linguis pluribus ora forent,
Sed tamen est etiam tenuis sua gratia Musæ,
Eximiumq; refert parua tabella virum.

Grata DEO pietas, animis exempla tueri
Quorum CHRISTE fides dogma professa tuum est.
Quicq; dedere animas simul in discrimina vitæ,
Inq; feram vera pro pietate necem,
Talia non solum, vi, ferro illata vel igne
Sanctus Apostolici pertulit ordo gregis.
Verum alij plures, pro religione fideq;
Mortis inauditum sustinuerẽ iugum,
Quos inter primas, nisi tu POLYCARPE tenebis
Carmine quem celebros, fortẽ secundus eris.
O felix ætas, ô tempora, quando tueri
Viuida sanctorum contigit ora virum.
Quorũ mens, CHRISTO quodcunq; edocta Magistro est,
Sæpẽ fuit noctes & meditata dies,
In studijs pietatis erant, rursumq; salubri,
Dogmate tum socios erudiẽre suos.
Non nisi colloquium hĩc sanctis de rebus, & omnis
Sermo super CHRISTO saluificante fuit.

His tua temporibus feliciter incidit ætas,
Huius & intereras pars POLYCARPE scholæ.
IGNATIVM tibi iunxit amor Papiamq; sodales,
Vnius & studiij participesq; loci.
Vos pendere simul conspexit ab ore IOHANNIS
Vrbs Ephesus tanti nomine clara viri,
Quæq; tulit vatam tot lumina, Palladis olim
Prodiit Heroum quantus aceruus equo.
Inde sacerdotes ad CHRISTI iura vocati,
Ritè gubernarunt relligionis opus.
Præsulis at functus Smyrnæ POLYCARPVS honore,
Munera pro CHRISTO non sine laude tulit.
Hic expers non ille mali sua munia gessit,
Crede mihi, innumeris munia plena malis.
Interualla licet Regum sæuitia haberet,
A truce quæ primum mota Nerone fuit.
Sunt tamen hæc alijs passim renouata Tyrannis,
Par quibus in sanctos ira furorq; fuit.
Iam satis ore tuum non Dommitiane furorem
Persequar, hoc vires exuperante meas.
Dira minabaris vati tormenta IOHANNI
Sublatum cupiens igne vel ense virum.
Quemq; trucidasses nisi sub nemora auia Pathmi
Quæsisset studijs otia tuta suis.
Corpora quin etiam Traiano à rege coactus,
Præbuit IGNATIVS dilanianda feris.
Hæc, grege de quorum fueras POLYCARPE piorum,
Inuida fata oculis visa fuere tuis.
Impia quæ quamuis non sint, dolor ista videre
Præsulibus fierent templa quod orba, fuit

Inde

Inde Manichææ turpissima somnia sectæ
Orta prophanarunt religionis opus.
Hi geminos inter qui se fera bella mouerent
Et simul æternos constituere Deos.
Quos inter LUMEN flueret quo fonte beatum
Quicquid ubiq; esset sub Ioue primus erat.
Alter erant TENEBRÆ, quæ turpia quæq; creata
Nec flecti poterant ad meliora, forent.
Impius hæc auxit tandem deliria MARCVS
MARCVS inauditæ duxq; caputq; mali.
Huic sciscitanti num nam illi cognitus esset?
Absq; mora contra mox POLYCARPVS ait:
Nouimus, at Stygio genitum te nouimus orco,
Eumenis & fouit quem furiosa sinu.
Hæc Asiæ postquam grassante per oppida peste
Cerneret errorum Roma vel ipsa chaos.
Huc tulit ipse pedem vates POLYCARPVS & ausus
Tale ministerij est tollere voce malum.
Voce ministerij tua fœda coarguit ausa
Marcion, insectans schismata quæq; viri.
Vix loquor hæc inter fidei bella impia bella,
Obrutus insidijs quot POLYCARPVS erat.
Ardua pro CHRISTI subiit certamina laude,
Hæreseosq; omnis strenuus osor erat.
Nil intentatum pro religione tuenda,
Conatu voluit præterisse suo.
Tempora restarent quæcunq; tumultibus actis
Hæc studijs omni sedulitate dedit.
Ipsius vtilibus fuit aucta Ecclesia scriptis,
Nunc quoq; quæ possent non sine laude legi.

At fas

At sacer exequitur dum sic sua munia vates,
Aspera pro vera bella gerendo fide,
Non minus ac socijs fatum sibi triste parari,
Vidit, vbi instaret curua senecta pede:
Scilicet vt fuerant pulsus melioribus annis,
Acta nouem lustris altera lustra nouem.
Namq; furens animis in te pie CHRISTE professos,
Plebs Asiae audebat tollere quotquot erat,
Cerneret utq; dolos, & aperta pericula vates
Noluit vt poterat vertere terga fugæ.
Illius haud fregit leuis inconstantia mentem,
Pectus vt in forti milite causa dedit.
Victus amore tamen nimio fratrumq; rogatu,
Penè suburbanis ruris adiuit agros.
Hic precibus pro more vacans ardentibus, vni
Vota tulit vera pro pietate DEO.
Dumq; adeo deuotus erat, quoq; somnia mentem
Terrebant, ipsum commonitura mali,
Nox erat, & placido sua membra sopore leuabat
Ante daret triduum quam sua colla neci,
Visa quiescenti sunt puluinaria flammis
Vrere, & in cineres vsta redire suos
Protinus excusso tollens sua lumina somno
Ipsus erat fati tristis Apollo sui.
Fratribus & referens sua somnia, dixit, IESVM
Credite, nunc propter, mors obeunda mihi est.
Vidimus vt somno consumpta cubilia flammis
Sic etiam posthac igne cremandus ero.
Dixerat, à caris iterum pertractus amicis
Vicini aggreditur rura propinqua loci.

Hic

Hic locus heu vati fatis electus & hora
 O dolor, hic insons qua caperetur erat,
 Iamq; dies aberat mediamq; crepuscula noctem
 Ducebant, homini cum venit orta quies.
 Fit strepitis clamorq; virum sonituq; resultant
 Viribus armorum limina fracta domus,
 Non aliter quam si trepidantia castra petuntur,
 Pergama vel ficto cum caperentur equo.
 Interea quamuis POLYCARPO occasio ferret,
 Rebus vt ante suis consuluisse fuga,
 Perstitit vsq; tamen, repetens hac pectore, fiant
 CHRISTE voluntatis iussa verenda tuæ.
 Nec mora, nil trepidus sese quarentibus vltro
 Obtulit, exoluens suauibus ora sonis.
 Magna loquebatur, quæ demirantibus ipsis,
 Aspera vel poterant corde mouere virum,
 En simul, iniçantne manus hærentq; pauentq;
 Hostes, sic misero condoluere seni.
 Protinus inde dapes sacro de more parauit,
 Ipse monens læta sumere fronte cibum.
 Vnius interea spacium non amplius horæ
 Concedi precibus tentat ab hoste suis.
 Vixq; preces dum finierat iam ducere vincitum
 Astabat circum gens malefida senem.
 Tum dorso impositus lentè gradientis aselli,
 Mœnibus adductus præda petita fuit.
 Obuius hic ipsi factus cum patre Nicete
 Fidus amicorum sic Irenarchus ait.
 Quid mutasse nocet mentem POLYCARPE, quid vnquam
 Cæsaris ante pedes procubuisse mali est?

B

Ille

Ille sub hæc contra responsa vrgentibus inquit,
Nec volo quod vultis nec voluisse decet.
Hæc vbi visa viri constantia, durius ipsum,
Propositiq; minis admonuere sui.
Dura loquebantur, miscentes verbera verbis
Turbabantq; senem quo veheretur equo.
At pede quantumnis lapsu grauiore fuisset
Læsus is, vrgebat nil quasi passus iter.
Iamq; propinquantés vt mœnia celsa subibant,
Turba coarctabat prona videre viam.
Ingens clamor erat per compita longa viarum,
Pars cupit occidi pars renuere senem.
Cælitus en subito vox est audita, vir esto
Confortare ausis & POLYCARPE tuis.
Cumq; adductus erat iam Cæsaris ante tribunal,
Cui data iudicij munera prætor ait.
Tu ne adeo est fidus CHRISTI POLYCARPV S amator,
Quem graue propter erit non mala quæq; pati.
Tunc affirmanti contra Præfectus ad aurem
Mussitat, vt nomen perneget ore suum.
Cæsaris, ô vates, inquit complectere numen,
Parce senectuti vir venerande tuæ.
Te resipisce precor clama, Tolle impia tolle
Quælibet è medio te resipisce precor.
Dixerat : ipse autem sustollens lumina vates
Quotquot, ait, video millia tolle virum.
Prætor adhæc : hortor quo dixi nomine iures,
Et maledic CHRISTO quem colis vsq; tuo.
Is contra : iniiciam malegratæ scommata linguæ
Cui vitam soli debeo, cuiq; animam.

Nomine

Nomine pro cuius pugnante tardior ætas
Me videt, at victum non cecidisse, semel.
Spes mea dux ille est, cuius de nomine nomen
Confiteor, CHRISTI sum moriorq; comes.
Ira exardescens infert, tua viscera, iudex
Faucibus obijciam dilanianda feræ.
Ecquid habes cæco brutorum carcere clausum,
Ocyus adducas nunc POLYCARPVS ait,
Malumus ô Iudex mala per quæcunq; beari,
Per bona quam posthac deteriora pati.
Rursus ait Prætor, qui bruta ferocia temnis
Ignibus addendus, ni resipiscis, eris.
Quid minitare, ait hic peritura incendia flammæ,
Exiguum hoc auffert, nil moror hora malum.
Cæcus at ignoras quæ Ditis amara superstes
Flamma malis vnquam non peritura furit.
Talibus exclamat dictis per compita Prætor,
Fortiter est Proceres fassus ab ore scelus.
Ira odioq; furens plebs vociferarier infit,
Cæsaris ô hostes patria dede neci.
Dede neci qui te quærunt Diuûmq; tuorum
Numina schismatibus nunc abolere suis,
Faucibus obiectus rapidis eat esca leonum,
Ipse vel in cineres igne crematus eat.
Consilio ast habito mens vna atq; omnibus vna
Vox erat, hunc auidis imposuisse rogis.
Scilicet admonitus iam nuper imagine somni,
Hoc restare sibi nouerat ipse malum.
Interea armati densantur in vrbe ministri,
Approperant aliij supplicijq; locum.

Instituunt pars igne focum, pars arida portant
Ligna focus, peragit munera quisq; sua.
In medio vates comitantibus vndiq; turbis
Incedens damnum spe meliore leuat.
Pergit ouans animis atq; hæc incendia pœnæ
Exiguæ vincit pectoris igne sui.
Iamq; locum tenuere, senex quo non quoq; tali
Cæde nocens flammis interimendus erat.
Protinus ipse suo diducens pectore vestem,
Insuper abiecit quod tegit ossa pedum,
Et cum nudus erat palo affigendus acuto,
Immotus flammis quo pateretur, ait.
Credite qui fragili tantas in corpore vires
Suggerit, vt possim sulphura ferre, DEVS,
Quin dabit immotum me iam succedere flammis,
Fixa licet palo non mea membra forent.
Iamq; senex tantum manibus post terga ligatis,
Victima pro CHRISTI laude futurus, ait.
O DEVS omnipotens & in omnibus omnia, CHRISTI
O genitor per quem te quoq; nosse datur.
Te te ego confiteor, tua supplex numina posco,
Numina supplicibus non nisi prompta viris.
Lætor amore tuo qui me dignaris, vt extet
Nominis aucta tui gloria morte mea.
Me precor efficias cari per vulnera nati,
Participem regni post mea fata tui.
O DEVS ô vnum quo confugiamus asylon,
Vltima tu nostri spes morientis ades.
Tradimus ecce rogis corpus, DEVS ô DEVS ipsam.
Sume animam, corpus tradimus ecce rogis.

Dixerat,


Dixerat, & rapido venerandus ab igne receptus
Stat flamma circum membra micante senex,
Interea illudens ardentibus effera membris,
Turba ferit passim talibus astra sonis,
I sequere & POLYCARPE tuum nunc numen adora,
Quin age fax abeat corpore dempta tuo,
Vox ubi vociferata leues impleuerat auras
Incomperta, cohors, vidit & obstupuit.
Protinus en cedunt nudatis sulphura membris,
Flammaq; ceu malo carbasa passa tumet,
Corpus anhelanti veluti stat frigora muro
Vallatum, nec quis corripit ossa calor.
Torrida neuè caro maculis apparet adustis.
Sed velut argentum quod probat igne faber.
Ridet & ardentes fastidit pectore flammam,
In medioq; senex integer ossa manet.
Non aliter firmata fide quam corpora fratrum,
Quos dedit Assyrii principis ira focus.
Igne animi quorum restincta est flamma camini,
Absconditq; suum sulphuris ardor opus.
Quiq; DEO triplici cantantes carmine laudes
Illæsi rapidas sustinuerè faces.
Hæc conspecta viris quanquam miracula rerum
Quod natura suam verteret ipsa vicem:
Cordibus irarum tamen haud incendia abibant,
Sanguine donec erant exatiata senis.
Dumq; faces ipsum cernunt, & temnere tædas,
Pectora transfigi protinus ense iubent.
Præbuit en alio diuina potentia signo,
Cernere credentum gloria quanta foret.

Largior effluxit iugulato pectore sanguis,
 Et restincta furens sanguine flamma fuit.
 Non aliter quam vere nouo de montibus altis,
 Arua per & campos nix resoluta cadit.
 Exitus hic tanti, cuius meminisse minores
 Proderit, hæc tanti funera vatis erant.
 Musa mihi causas memora, cur numina Diuûm
 Tanta viros sanctos sustinuisse velint.
 Vult vt certa sui superent vestigia verbi,
 Vult ea sint multo teste probata, DEVS.
 Publica nam fiunt quoties exempla, quod vltro
 Proijciant animas pro pietate suas.
 Sic Euangelij munus diuinus ortum,
 Cernitur, vnde animæ prouenit orta salus.
 Vult fieri præclara virûm tot lumina testes,
 Esse quod æternum post ea facta bonum.
 Cernimus immani quoties sæuocq; Tyranno,
 Ad mortem sanctos igne vel ense rapi,
 Mens hominis suffulta fide confisacq; CHRISTO,
 Esse bonos aliud cogitat atq; malos:
 Nempe quod ampla bonis tandem sua præmia restent,
 Pœna sed expectet non peritura malos.
 Aulicus officijs DOROTHÆO iunctus & vsu,
 PETRVS ouans animam fundit in igne suam.
 Exhalat STEPHANVS lapidum sub grandine vitam,
 Pro CHRISTO patitur PAVLVS ab hoste necem.
 Non tamen hoc sæuum sequitur maledictio fatum,
 Restans iudicium stat penes omne DEVM.
 Sic POLYCARPE tua signabas morte triumphum,
 Iudicij sanctis quem dabit hora viris.

Sic

Sic tu quod vitæ es per tempora cunq̃ professus,
Dogma DEO esse ortum mors tua testis erat.
O dilecte DEO nunc pro tot mole laborum
Gratia, pax, requies affluit alma tibi.
Et vitæ iactura lucro est, iam luce potiris
Pro terræ tenebris hospes in arce DEI.
Nobile cælitibus decus additus alta frequentas
Concilia, hîc superûm concinis ore choris.
Exitus ô nobis quoq̃ sit morientibus idem.
Qui quoq̃ nunc hodie dogma fatemur idem.
O eadem virtus, eadem constantia CHRISTE
Nos precor æternum te mediante beet.

FINIS.



QX T. 2035



Handwritten marks or scribbles in the bottom right corner.




Pon Ti 2035, 0x

f

ULB Halle 3
004 956 370







Farbkarte #13

B.I.G.

R. 534

B. m

II i
2035

Vita &
MARTYRIVM
D. POLYCARPI, CAR
MINE ELEGIACO DE-
SCRIPTVM.

Bartholemæo Andreade
SILESIO.



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

GORLICII

Excudebat Ambrosius Fritsch.

Anno
M. D. LXIX.

